

moliatur. Laudavit Sauffæius regium diploma, quod se in capsis rite conscriptum habere dixit. Ad eas ubi ventum est, vidit integras, & obseratas, suisque omnia digesta locis agnovit, diploma nullum apparuit. Tum Argallus, vultu & voce ad severitatem compositis, fugitivos & prædones conclamat, ac necem commeruisse pronunciat, simulque navim suis diripiendam tradit. Illum interea Patres obsecrant ut victis benignè consulat, quibus objici nihil noxæ possit aliud, quàm quod in pacato solo fuerint nimium securi: auctoritatem Regis Galliæ non dubiam ac voluntatem testantur. Prætor probè sibi conscius vera narrari, comiter eos audivit, & omnibus potestatem in Gallium redeundi fecit. Duas in naviculas infelix turba